

/ Ill/me ac Beat/me Pater ac Domine.

Quam sit foelix Celsitudinis tuae status in senectute commo-
rari et operari ab intus in sancta Civitate Dei, pro cuius moeni-
bus et vallis, hostium impetu et oppugnatione non leviter deiec-
5tis, erigendis et restaurandis tota iuvenili vita foris aliquando
laborasti: facile p er te scis, et iam novo insuper mirabilis for-
tunae exemplo discis in fratre presbytero Cardinale Cleselio; quae
enim non isti viro imputent et obiiciant delicta, scelera, crimi-
na exauctorato, demisso, in captivitatem abducto, qua fama et ru-
10more totus completur orbis, vix eloqui possum. Matthiam Augustum
ad regias caesareamque dignitates magno studio et dexteritate
promovit, consilia eius hactenus feliciter direxit uti expeditio-
nes et difficillimarum rerum executiones aliquot in destruendo
novo oppido Mulhemense, ad restituendam Coloniensibus fori sui
15libertatem in plectendis seditiosis civibus Francofurtensibus, i-
tem Aquisgranensibus, ad restituendum loco suo et in integrum u-
triusque civitatis Imperialis senatum pristinum; quae omnia in
vicinia prope nos contigerunt, ut sileam quae in remotioribus Ger-
maniae aliorumque regnorum locis peracta sunt, palam ostendunt.
20Deinceps ubi aetate et corporis viribus multum deficere Caesarem
animadvertit, alioqui consiliis suis morigerum et obsequentem,
cum scitu et consensu illius, imo magno animi eius desiderio, Fer-
dinandum Archiducem Principem aetate floridum, bello exercitatum,
religione commendatum, tempestivè dum adhuc spirat et calet Matt-
25hias, pedetentim in regnorum adeoque imperii Romani successionem
inducendum existimavit et procuravit, ita tamen ut superstiti Mat-
thiae nihil omnino neque in honoribus neque in redditibus neque
in potestate vel authoritate quippiam decederet. Et incredibili
virtute duos priores gradus feliciter transgressus, fecit illum
30regem Bohemiae et nunc insuper Hungariae; restabat nihil quam ut
proxime illi ad maiorem S.R.Ecclesiae ipsiusque Imperii foelici(

/ tatem regia quoque Germaniae corona Ferdinando imponeretur. Quo-
modo, quo astu, quibus conatibus et consiliis aliisque machinati-
onibus publicis et privatis, ut monstrosus iste partus nuper Pra-
gae in Bohemia editus satis comprobatur, haeretici nocte dieque oc-
5 cupati fuerint ut coronationem et successionem Ferdinandi impedi-
rent, totus apud nos novit mundus. Et quod refert iam fidelitatis,
industriarumque virtutum praemium? quam laborum suorum mer-
cedem? O bone Deus! Doleo, ploro, lugeo non hanc Cleselii in
mundo miseriam, si sic appellanda est, quam scandalum Ecclesiae,
10 Cardinalitiae dignitatis opprobrium, piorum omnium confusionem,
imo ipsius SS/mi Domini Nri, qui Cardinalem creavit, dedecus et
vulgi obloquia. Timuerunt forte procures Imperii Cleselium, utpo-
te Cardinalem eminentiorem in proximis Comitibus Imperii prae se
locum, gradum et ordinem obtenturum in vilipendium status sui,
15 qui principes nati et electores sunt. Alii opinantur Cleselium
pecuniis abundasse, quae negotiis bellicis hoc tempore valde fo-
rent utiles. Alii ipsum se post adeptam Cardinalatus dignitatem
nimis gravem imo austerum hominibus praeuisse. Alii secreta Cae-
saris revelasse. Nonnulli in animo haeticum esse et fuisse, ip-
20 sisque haeticis nimium indulsisse et favisse; quod ego omnium
minime credo. Bene scio quod natio Germanica ita sit comparata ut
in regimine non ferat genere ignobiles, sicuti Gallia non patitur
natione externos, ideoque quaerit omnes occasiones amovendi tales.
Sed quid ego sentiam aut cur hasce scribam paucis aperiam. Non
25 timeo poenam, nec spero inde praemium. Si forte Ill/mus Dñus Meus
Cardinalis Cleselius carcere sive custodia ita arcte constringi-
tur ut SS/mo Dño Nro aliisque in purpurato Collegio confratribus
suis innocentiam suam patefacere haud possit, pium, iustum et ae-
quum est, ut ego illa, quae mihi de tanto praesule constant, Cel-
30 situdini Tuae et per eam aliis humiliter et sincere aperiam. Nosse
et amare me coepit ex quo vidit, perlegit, relegit libellos meos,
ac tunc anno 1612 Francofurti post coronationem Matthiae factam,

/ omnium primò dedit ad me litteras omni benevolentia et clementia
plenas, quibus opem et gratiam suam offert ad impetrandum bonum
aliquem Canonicatum, medio precum imperialium, uti re ipsa, quando
occasio tulit, comprobavit, assignans mihi preces in nobili aliquo
5 collegio. Exinde magna inter nos coaluit animorum coniunctio, quae
mutuis postea literis magis magisque adaucta fuit. Quae inquam
Cardinalis ad me literae omnes insignem spirant non solum pieta-
tem sed etiam sanctitatem et tanto praesule dignum zelum pro SS.
Romana Ecclesia contra haereses et sectas harum tempestatum, quas
10 omnes vel quarum omnium copias ut vocant vidematas paratus sum ad
SS. Sedem Apostolicam, si ita videbitur, sacerdotali fide sub dan-
no aeternae salutis transmittere, ut ex iis spiritum scribentis
p. robet, an ex Deo sit et num forte innocens patiatur. Non est il-
le primus: Imperator Otto pium Pontificem Benedictum V captivum
15 in Germaniam Hamburgum abduxit, ubi etiam vitam finivit. Quomodo
calumniis, obloquiis, detrectationibus arroserint, quamdiu in si-
mili fortuna Regi Henrico quarto primarius Consiliarius adfuit
Adalbertus archiepiscopus Bremensis, qui itidem ex humili emerse-
rat, alii Principes Germaniae, Lambertus Asschaffenbergensis cla-
20 re describit, non dissimulando defuncti laudes, quod in vivis dae-
moniacum Wormatiae expiaverit et ab utero creditus fuerit virgo.
Sed Celsitudo Vestra longe plura novit eiusmodi exempla et per
experientiam in Christo quoque verum fuisse "Nemo Profeta accep-
tus est in patria sua". Ben etiam scio a toto illo sexennio, quo
25 ipsum familiariter coepi novisse, quantas calumnias, obloquia et
opprobria passus fuerit non solum ab haereticis, sed et à catho-
licis, ita ut nesciam utrum magis ab iis quam ab illis. Bone De-
us, quid non valet invidia ? ut vero verius videatur mihi occi-
nuisse Poeta: Invidia Siculi non invenere tyranni maius tormentum.
30 Catholici ut illum ab illustri isto loco removerent, videntur vo-
luisse insimulare haereseos. Dignissima omni exauctoratione cau-
sa. Haeretici infidelitatis et periurii, quasi sibi talia et ta-

/ lia addixerit et promisserit quae non faceret catholicus. Res uti
se habet Deus optime omnium novit et causam illius diiudicet S.
Sancta Apostolica Sedes, quae sat potens est, quia omnipotentis
Dei est, contra quoscumque, absque ulla personarum acceptione ab-
5 solvere innocentes. Ego interim spero et confido in Domino, Cle-
selium magis ex aliorum invidia quam propria pati culpa.

Haec putavi cum Ill/ma Cels/ne tua fideliter communicanda,
humillime rogans ne alio quam quo à me proficiscuntur interpre-
tetur. Non sum omniscius: quae habeo certa certus loquor, hoc est
10 quales ad me scripsere unquam literas. De reliquis nihil scio,
sed quod opiner et sperem Cleselium pati non solum innocentem, sed
et Apostolico hoc est invicto animo; alias Deum cum S/to Profeta
oro "Ne declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusa-
tiones in peccatis. Typographus noster diligens est in impressio-
15 ne Cels/dinis Tuae operum, ut correcte ~~in~~et in bona charta prode-
ant. His eidem Cels/ni Tuae sempiternam precor felicitatem ut no-
bis omnibus p rosit ad salutem.

Dabam moestus in hac rerum perturbatione die ij augusti a° 1618.

Bibl.Vatic. Ottobon.2416 P.III ff.688-689.

20 N.B. Ibidem fol.694 au card.Amalteo:

Petrus Cutsemius, SS.Th.D. S.Gereonis Canonicus p^{er}
(in fine litterae) Dignetur Cels/do V/ra Ill/mo Card/li Bellar-
mino indicare literas, quas authore anonymo accepit, a devoto suo
cliente, qui eadem orat pro ipso Deum ut aeternum sit felix, esse
25 datas. Dabam Coloniae, 11. Aug. A° 1618.

Rev/mae et Ill/mae etc.

Petrus etc.